



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. VI. Quid sit hæresis Janseniana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

ianum & Arausicanum II. SS. Patres, Hieronymus ep. 25. inter epist. S. Augustini, Prosper, Fulgentius, alique, quin & Ecclesia tota eum inter præcipuos Patres, si non omnino primum, saltem nulli secundum, veneratur; unde meritissimo jure ejus sententia plurimi æstimatur, præsertim in materia de gratia: qua de re optimè scribit Suarez,

220. Hic Eximius Doctor Proleg. 6. de gratia c. 6. n. 17. docet quidquid in hac materia (de gratia) Augustinus, ut certum affirmat. Et ad dogmata fidei pertinens, à quolibet prudente, & erudito Theologo esse tenendum, ac defendendum; etiamsi non certò constet, esse ab Ecclesia definitum; quia, cum Ecclesia tantum in hac materia detulerit Augustino, ut ejus doctrinam in damnandis erroribus, gratie DEI contrariis secuta fuerit, magna esset temeritas privati Doctoris, qui Augustino aliquid de gratia DEI tanquam orthodoxum docenti contradicere auderet. Ulterius infert, credendum omnino esse, in doctrina S. Augustini de gratia, nihil inveniri, quod non sano modo intelligi possit, seu ita, ut Catholicæ doctrinæ non sit contrarium; cum Ecclesia ejus judicium tam fidenter secuta sit.

Unde in his rebus, etiam quoad ea, quæ Augustinus tantum probabiliter, simpliciter tamen, & constanter amplectitur, sententia ejus præferenda est, nisi Ecclesiæ, vel communis Patrum autoritas, videatur ob stare, quod raro, vel nunquam continget: & eo casu potius explicandus, quam reprobandus esset S. Augustinus. Hæc tamen dicta, ait Eximius, n. 18. intelligenda sunt de operibus S. Augustini de gratia, non verò de iis, quæ de prædestinatione scripsit (nisi habeant necessariam connexionem cum dictis de gratia) nam de prædestinatione Ecclesia nihil definivit, nisi in generali, scilicet eam dari: quanquam etiam quoad has questiones autoritas Augustini sit ingens.

ARTICULUS VI.

Quid sit hæresis Janseniana.

221. Cornelius Jansenius Iprensis (non Gandavensis qui jam anno 1576. 10. April. ætat. 66. mortuus est) natus fuit anno 1585. in exiguo loco Hollandiæ Accoy dicto, prope Leerdamum, parentibus plebeis. Inde studiis primò operam dedit Ultrajecti, postea Lovanii Philosophiæ, ac Theologiæ, sub Magistro, qui fuit discipulus Baii: qua in Universitate etiam Doctor Theologiæ fuit creatus. Abiit dein in Franciam anno 1607. & exceptus à Joanne du Verger de Havrane, famoso Abbate Sancyrano, atque ab hoc commendatus cuidam consiliario Regio Parisiis, aliquo tempore filiorum istius moderatorem domesticum egit: tum Baionæ, Collegio principali recens erecto, Director est datus, ad ejusdem Abbatis commendationem, cum quo dein indissolubilem amicitiam coluit.

Hic duodecim annis duo isti simul studiis vacarunt, legendo præsertim S. Augustino. Rediit Jansenius inde Lovanium, ibique Collegio S. Pulcheriæ Præfectus, & à Philippo III.

Hispaniarum Rege, S. Scripturæ Professor est renuntiatus. Hic coepit elaborare suum Augustinum; cum enim occasione Pseudosynodi Tridentensis, à Calvinianæ sectæ Ministris celebratæ, studuisset materiæ de gratia, & sæpius S. Augustinum voluisset (decies, & amplius universa opera S. Augustini, & libros contra hæresin Pelagianam facitè trigies eum pervolvisse testatur vitæ synopsis, ejus operibus præfixa) & ipse libros de gratia scripsit, quos Augustinum hoc est, Augustini doctrinam nominavit.

Interim ter nomine Academiæ legationem in Hispanias ad regem obiit: ac tandem occasione libri, quem contra Gallos scriptum Martem Gallicum vocavit, ad Insulas Iprenses promotus est anno 1635. eadem die, qua natus scilicet 28. Octobris, qua etiam post annum Episcopus consecratus est: & hic loci videtur Augustinum suum absolvisse. Mox, ut ait Morenius, reformare coepit suam Dioccesin: sed absolvere opus ceptum non potuit anno 1638. 6. Maji defunctus ex peste, quæ urbem illam invaserat. Moriens librum suum reliquit amicis, typis edendum, sed, ut ajunt, mediâ ante mortem adhuc horâ, omnia scripta subjecit judicio Ecclesiæ Catholicæ; unde non potest dici hæreticus; cum primum post ejus mortem liber sit condemnatus. Quidam in dubium vocant, an ea submissio sincera fuerit: sed melius est meliora sentire.

222. Liber hic non statim post mortem, sed anno 1641. prodiiit, infelix posthumus: aulico quidam Societatis nostræ Doctores thesibus publicis se ei opposuerunt: & post hos alii plurimi doctissimi viri, etiam Doctores Sorbonici. Accusatus quoque liber est anno 1649. apud Sorbonam, & condemnatus. Sed mox sexaginta Doctores contra sacram facultatem illam insurrexerunt. Hinc anno 1650. mense Mayo in Conventu Cleri conclusum est eundem Romam: quare octoginta quinque Episcopi Gallicæ, quibus postea accesserunt tres alii, librum ad supremum Summi Pontificis Innocentii X. tribunal detulerunt.

Equidem Urbanus VIII. librum Jansenii, vix ubi lucem aspexerat jam damnaverat, tanquam restaurantem errores in Baio damnatos, editâ Bullâ in Eminent. 4. Martii 1641. ac ejus usum omnibus sub excommunicationis poena interdixerat: sed hoc satis non erat, ad sufficienter ab ejus lectione absterrendos, amantes novorum homines; hinc Innocentius X. Urbani successor, maximâ diligentia, tum per se, tum per alios doctissimos viros, iterum librum excussit. Habita sunt hac de causa viginti duæ congregationes consultorum, ac Cardinalium, & post has alia decem, coram ipso Pontifice, ubi defensoribus Jansenii concessum est loqui ac sese defendere; indictæ sunt etiam preces Romæ in præcipuis templis. Tandem Pontifex quinque famosas propositiones, quæ præcipuam libri doctrinam complectebantur, selegit, easque anno 1653. pridie calendas Junii Constitutione gravissima, quæ incipit: Cum occasione: hæreticas declaravit.

223. Sunt autem præpositiones istæ: Prima: Aliqua DEI præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus, secundum præfentes, quas

habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Censura fuit: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hereticam declaramus, & uti talem damnamus. Secunda: Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. Censura: Hereticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertia: Ad merendam, & demerendum, in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Censura: Hereticam declaramus, & uti talem damnamus. Quarta: Semipelagiani admittere praeventis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant heretici, quod vellet, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Censura: Falsam, & hereticam declaramus, & uti talem damnamus. Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Censura: Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectum eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, & Divinae pietatis derogantem, & hereticam declaramus, & uti talem damnamus.

Qua censura posita, non est opus alia refutatione; quippe verè Catholico sufficit infallibile S. Sedis oraculum. Insuper etiam clarum est, sic tolli libertatem humanam, quam tamen Tridentinum sess. 6. can. 4. tam clarè definit: unde Janseniani alias ad fraudes conversi sunt.

224. Vix edita, & promulgata, Bulla haec fuerat, cum fautores Jansenii, ejusque sequaces, quidquid privatim senserint, publicè tamen dixerunt, has propositiones quidem esse rectè damnatas, sed eas non contineri in libro Jansenii, & hunc esse innocentem. Verùm hoc est falsissimum. Prima manifestè continetur tom. 3. l. 3. de gratia Christi c. 13. ubi sic habet Jansenius: Ex hac indubitata doctrina, quaedam non parvi momenti, ad hanc rem spectantia, inferuntur, & clarescunt: Primum quidem, esse quaedam homini praecepta, secundum statum, & vires, in quibus constitutus est, impossibilia: Secundum, non aliter semper gratiam, qua possumus, hoc est, qua eadem illa praecepta implere sufficimus: Tertium, hanc impotentiam reperiri, non solum in excacatis, obduratis, & infidelibus... sed etiam in fidelibus, & iustis: Quartum, hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum, quando nolunt praecepta servare, sed etiam, quando volunt. & subjungit eod. cap. Haec igitur omnia plenissimè, planissimèque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius, ac fundatius, quàm esse praecepta quaedam, quae hominibus, non tantum infidelibus, excacatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & iustis, volentibus, & conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, impossibilia: deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia. Intelligenti idioma latinum est manifestissimum, in his verbis contineri primam propositionem.

Secunda propositio habetur toto l. 3. de gratia Christi ubi capiti 1. hic titulus praefigitur: Tangitur natura adjutorii sufficientis, & ostenditur, nullum dari post lapsum: & ibidem sic habetur: Adjutorium sufficiens nihil est aliud, quàm adjutorium, sine quo non sit opus, nequaquam verò adjutorium, quo: ac proinde est adjutorium sanae voluntatis, seu primi hominis, non egrotæ. Item tom. 3. lib. 2.

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

de gratia Christi c. 24. Gratiam Dei Augustinus ita videlicet statuit supra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam, non posse resistere. Eodem cap. ait. Ut ejus gratiae effectus à voluntate non suspendatur, sed ut effectum potentissimè invehat, inferatque voluntati, non operando, si voluntas velit, sed operando, & determinando, ut velit. Similia habet c. 25. & 32.

225. Tertia propositio habetur tom. 3. l. 6. & 7. & quidem l. 6. c. 4. ita scribit: Recentiores sibi imaginantur, illum tantum actum esse in nostra potestate, quem pro libitu nostro, positis omnibus ad agendum necessariis, possumus facere, & non facere: qua in re juxta Augustini doctrinam sine dubio falluntur. Et iterum clarissimè tom. 3. l. 8. de gratia c. 19. Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, & necessitas violentiae.

Quarta propositio habetur l. 8. de heresi Pelagiana c. 6. his verbis: In hoc ergo propriè Massiliensium error situs est, quod aliquid primæ libertatis reliquum putant, quo, sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet: neuter tamen absque interioris gratiae adjutorio, cujus usus, vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio, & potestate. Rursus tom. 3. l. 2. de gratia Christi c. 25. Nam praterquam, quod ipsi Massilienses gratiam quandam potentialem, intus cum libero arbitrio concurrentem, assererent, quæ adjuvaret hominem ad credendum, si vellet, nec tamen heresis notam effugere potuerunt. Et iterum l. 3. de gratia Christi c. 1. Quia est adjutorium, quod Massilienses ad credendum necessarium esse, atque ita sufficere statuebant, ut cum eo credere posset homo, si vellet: qui tamen tanquam heretici proscripti sunt, non aliam sanè ob causam, nisi, quia tale adjutorium homini sufficere putarent, adeoque nullum aliud adjutorium ad credendum actum ex parte DEI esse necessarium.

Quinta propositio asseritur tom. 3. l. 3. de gratia Christi c. 21. Nec enim juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omnino Christus passus, aut mortuus est, aut pro omnibus omnino, tam generaliter sanguinem fudit; cum hoc potius tanquam errorem, à fide Catholica abhorrentem, doceant esse respuendum: & paucis interjectis: Pro istis, praedestinatiss, in aeternum vivificandis, mortuus est: pro istis ab omni malo liberandis, rogavit Patrem suum: non pro ceteris, qui à fide, & charitate deficientes, in iniquitate moriuntur.

226. Hucusque ex Jansenio allata non indigent explicatione, ut comparatione facta cum propositionibus damnatis, dicantur iis esse simillima. Adde, quod clerus Gallicanus anno 1654. 28. Martii ad Innocentium X. scribens sic dicat: Nos in hac urbe Parisiensi congregati censuimus, & per epistolam encyclicam, his litteris adjunctam, declaravimus, propositiones illas, & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii à Sanctitate vestra damnatas, desertis, & manifestis verbis. Vide Balh. Francolini Tyrocinium Theol. part. 3. §. 1. num. 60.

Adde, quod discipuli Jansenii, hunc planè earum propositionum proprium esse sensum, agnoverint, ut ex eo constat, quod dein propositiones aliquas, si non omnino, ferè tamen idem dicentes, tradiderint, quas postea Alexander

T

xander

xander VIII. confixit anno 1690. 7. Decembris: ex quibus prima sic habet. In statu nature lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis: quæ propositio fundatur in tertia Janfenii: item quarta inter 31. ita habet: Dedit Christus semetipsum pro nobis oblationem DEO, non pro solis electis, sed pro omnibus, & pro solis fidelibus: & quinta: Pagani, Judæi, Heretici, alique hujus generis, nullum omnino accipiunt à JESU Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficiente: quæ coherent cum quinta Janfenii: sexta autem inter 31. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciofa est, sic ut proinde meritò possimus petere: A gratia sufficiente libera nos Domine: connexionem maximam habet cum secunda Janfenii.

227. Sed quid opus est multis? rem hanc satis definivit Alexander VII. Innocentii X. Successor anno 1656. 17. Kalend. Novemb. editâ Bullâ: Ad sanctam B. Petri sedem, in qua ita ait: Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Janfenii non reperiri, sed fidè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere, magno cum Christi fidelium scandalo, non reformident, nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungemur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica autoritate eadem causa discussa est, eâ profectò diligentia, qua major desiderari non posset, quancunque dubitationem super præmissis imposterum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate se se contineant, ex debito nostri pastoralis officii, ac matura deliberatione, præsertim Innocentii Prædecessoris nostri constitutionem, declarationem, & definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus. Addit in eadem Bulla: Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Janfenii Episcopi Irenensis, cui titulus est: Augustinus: excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Janfenio intento, damnatas fuisse definimus, & declaramus, ac ut tales, inusitâ scilicet eâdem singulis notâ, quæ in prædicta declaratione, & definitione, unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus.

Ut autem hæc firmissimè observarentur, ex Regis Christianissimi Ludovici XIV. & Episcoporum Galliarum desiderio, idem Alexander VII. anno 1664. 15. Kal. Martii Pontificatus anno X. in Bulla Regiminis Apostolici, decrevit formulam juramenti, faciendi ab omnibus Ecclesiasticis, Episcopis, & Archiepiscopis: quam Galli vocant formularium, & sic habet: Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maij anno. 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris an. 1656. Summorum Pontificum, me subijcio, & quinque propositiones ex Cornelii Janfenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas prædictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.

ARTICULUS VII.

Varia alia quesita à Iansenistis effugia.

228. Necdum tamen quievère Janfenio dediti. Ut vim formulæ hujus, & juramenti eluderent, dixerunt, sensum verborum, in quinque illis propositionibus contentum, multiplicem esse posse, ac proinde non constare, quisnam esset sensus damnatus, supra quem juramentum caderet: imò aliqui etiam valde absonos sensus fingebant. Quem ad finem utile ipsis fuit famulum Scriptum trium columnarum, à Janseianis confectum durante adhuc causâ quinque propositionum, & duodecim dies ante condemnationem Innocentio oblatum. In hujus scilicet tribus columnis posuerunt tres sensus, dictarum quinque propositionum, & in media quidem, quem dicebant verum, ac genuinum: in prima autem eum, quem dicebant hereticum, & malignè propositioni affixum: hic autem sensus hæreticus singularum propositionum erat juxta ipsos istæ: Primæ: Mandata DEI impossibilia sunt omnibus justis, quancunque voluntatem habeant, & quancunque conatum adhibeant: quamvis in se habeant omnes vires, quas confert gratia maxima, & efficacissima: & ipsi per totam vitam semper deficiat gratia, qua possint etiam tantum unum præceptum adimplere sine peccato. Secundæ: In statu nature lapsæ nunquam resistitur gratiæ interiori, & efficaci: quia voluntas hominis se habet præ se passivè respectu gratiæ efficacis, & sicut res inanimata nihil facit: neque cooperatur, neque consentit libere. Tertiar: Admerendum, & demerendum, in statu nature lapsæ, non requiritur in homine libertas, exempta necessitate naturali, etiam illa, quæ datur in motibus indeliberatis: sed sufficit, ut sit liber à coactione. Quartæ: Gratia JESU Christi præveniens est talis, ut liberum arbitrium hominis, motum, & excitatum per illam, non possit resistere, quamvis vellet. Aliter asserere est loqui cum Semipelagianis. Quintæ: JESUS Christus mortuus est solum pro prædestinatis, ita ut nemo, nisi ipsi soli, recipiant veram fidem, & justitiam, per merita mortis Christi. Et hos sensus esse hæreticos, & propositionibus malè affectos, dixerunt etiam posteri Janfenii affectæ sequentibus annis. Sed eos inprimis acriter refellit Jurieu famosus Calvinista, & magnis clamoribus negat, ullum Calvinistam, aut hæreticum, talem doctrinam defendere, & longè difficilius Janseistas in Calvinistarum operibus inventuros talem doctrinam, quam alii in operibus Janfenii invenient damnatas quinque propositiones in obvio sensu.

229. Res tandem iterum est delata ad Innocentium XII. qui anno 1694. 6. Februarii edidit decretum, quo prohibet, quosque alios sensus prædicti formularii, præter eum, quem in sensu obvio ipsius verba exhibent, afferri, usurpari, aut de his disputari: imò omnibus cujuscunque statûs hominibus, perpetuum silentium indicit, super interpretatione prædicti formularii, sicut & super interpretatione ipsarum Janfenii propositionum in alio sensu, præter eum, quem verba per se exhibent. Sensus autem verbo-